


**05  
A  
1659**



COLLEGII MORALIS  
EXERCITATIO XV.

(26)

De  
**VIRTUTIBUS**  
**INTELLECTUA-**  
**LIBUS.**

*QVAM*

Duce DEO omnis scientiæ & Sapientiæ fonte  
& origine

*In Electorali ad Albim Athenæo*

Sub

PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi nec non Eximij.*

DN.

**M. MATTHÆI Grosser/**

Facult. Philosophic. Adjuncti dignissimi.

Favitoris & Promotoris sui multùm  
honorandi.

*Academici exercitij gratiâ  
ventilationi insinuat.*

**PAULUS Schwab Plava Variscus.**

*Die 19. Aprilis horis locog̃ solitis.*

---

*WITTEBERGÆ,*

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.  
Anno cīc cīc XXX.





05 A /659

¶ ego'm'io.

ACTENUS (Majestate Cœlesti facul- *Transitio.*  
tatem suggestente) virtutes MORA-  
LES, quæ nostri appetitus *αναξια* me-  
delæ sunt, persequuti fuimus, easq; à  
stolido & supino indoctorum quo-  
rundam Contemptu vindicavimus,  
ab ijs falsarum opinionum temeritatem abscidimus,  
figmentorum tenebras discussimus, errores amputa-  
vimus, lumen sincerae veritatis claro jubare accendi-  
mus, quo directi ac ducti nequaquam in rusticatatem  
& incivilitatis notam inciderimus. PROXIMUM *Propositio.*  
ergò jam esse videtur eas, quæ veri *αγνοια* medica-  
mento sunt, AGGREDI, INTELLECTUALES scil.  
*Sicuti enim Speculum non reddit imaginem nisi vitro*  
*stannum substernas, aut æs aut aurum aut simile quip-*  
*piam solidum, quod imaginem non sinat perfluere:*  
*Ita quoq; illæ virtutes non veram veri Philosophi*  
*ideam representant, nisi eis suffulciantur virtutes intel-*  
*lectuales :* Nam hæ contra mentis stupiditatem  
comparatæ sunt, ut hanc ab *ignorationis caligine pur-*  
*gent.* Quare vel maximè operâ nostrâ dignissimæ  
habentur; Has ergò hac disputatione, pro ut vires  
concesserint, methodo nostra usitatà pertractaturi  
sumus. Prius verò calidis votis atq; suspirijs DEUM  
Ter Opt. Max. ORAMUS, ut suo sacro S. Spiritu nos  
ducat in omnem veritatem Proinde Carbasa sic rursus  
cumidis expandimus Euris.

A 2

M E M -

# MEMBRVM I.

## Thesis. I.

Virtutes animi suprà duplices constituimus τύπον σεμmorum; οὐδὲ τῆς διανοίας seu mentis ex lib. 6. Ethic. Nicom. c. 2. Hu prima subsellia deberi non inficias imus, sed secuti filum Aristotelicum has illas subjectas voluimus. APPELLANTUR autem VIRTUTES. 1. Quia intellectum ad actiones laudabiles & ad bene operandum perducunt. 2. Quia & ipsæ τῷ μεσοτάλι consistunt & auream mediocritatis regulam ἀκριβῶς observant.

### Derivatio.

II. INTELLECTUALES verò DICUNTUR ab intelligendo seu potius intellectu; cui tanquam subiecto in hærent, quia sunt habitus. Habitus verò necessariò intellectui inesse probatum videamus in part. Metaph. Admodum Rev. & Eccell. Dn. D. Jacob. Mart. Praeceptoris nostri summè colendi.

III. HOMONYMIA harum virtutum venit evolvenda. Primam autem sedem inter has virtutes tenet INTELLIGENTIA, pro qua nonnunquam usurpatum accipimus Intellectum, qui tamen vel maximè differt ab illa, cum hic saltem sit aptitudo, quā res omnes intelligibiles cognoscere possumus; Unde rectè secundum Philosophum tabula rasa dicitur, cui omnes res infigi valeant: Intelligentia verò habitus ut infrà demonstratur.

IV. Huic succedit SCIENTIA, quæ sumitur. 1. Laxe pro quacunq; cognitione sensuali. 2. Genericè prout significat habitum per demonstrationem acquisitum. 3. Magis strictè, prout denotat habitum qui versatur circa conclusiones demonstrabiles & sic scientiam sumptam infrà definituri sumus. Vid. Admodum Rev. D. Jacob. Mart. Exercit. Metaph. lib. 1. Exercit. Theor. 6.

V. Scientiam excipit SAPIENTIA, quæ exhibetur. 1. Pro certæ alicujus artis perfectione seu excellentia Arist. I. 2. Nicom. c. 7. 2. Sæpius usurpatur pro SCIENTIA, sicuti ipse Philosophus omnes contemplantes scientes & omnes scientes sapientes vocat lib. 1. prior. Metaph. c. 1. 3. Pro absolutâ atq; perfectâ cognitione scientiarum, quæ exhibitione infrà ejus definitio præsentabitur.

VI. Quarta dicitur PRUDENTIA, quæ & ipsa est ἐν τῷ πολ-  
λαχῶσ λεγομένῳ. Tribuitur enim. 1. Animantibus ratio- 4. Pruden-  
tu expertibus, ut apibus & muscis &c. Sed talis pudentia est φυσικὴ τι.  
Arist. 6. Ethic. c. 7. Διὰ οὐτὸν τὸν Ἰηρίων, inquit, ἡμῖν Φρέσνια  
Φάσιν εἶναι, οὐτε τὸν αὐτὸν βίου, ἔχοντα φάγεται δύναμιν πε-  
νοντειν h. e. Unde etiam bestias non nullas prudentes esse in-  
quiunt, quæcunq; in vita traducenda providendi vim habere vi-  
denter. Vid. comment. Joan. Ludov. Havenreut. in lib. Metaph.  
cap. I. 2. Sumitur pro solertia, quæ Græcis est δεινότης, quam 2.  
Arist. I. 6. Nicom: c. 13. sic describit. Δεινότης δὲ τοιαύτη ὡς τὰ  
περὶ τὸν οὐτε θέντα σκοτών τὸν οὐτείνοντα, δύνασθαι ταῦτα πεπάτειν οὐ-  
τούχαντα. h. e. Solertia est talis sc. facultas, ut quæ ad proposi-  
tum scopum conducunt, agere possit atq; assequi. Talis fuit in  
Themistocle de quo Thucyd. scribit ita: Themistocles acie-  
mentis suæ non præmonitus nec diu considerans, optima consi-  
lia habebat & de futuris quid eventurum esset rectissimè conijcie-  
bat & quæ in præsentia in manu habebat, expedire poterat, &  
quæ non noverat, non destitit inquirere, naturæ viribus & deli-  
beratione id eligebat, quod maximè profuturum erat. 3. Pro 3.  
astutia, versutia, calliditate, quæ Græcè πανθεγία dicitur. Πα-  
νθεγία enim est, qui ad quodlibet persequendum opus prom-  
ptus est, vel qui dexteritate ingenij valet, pertractare agenda favrè  
atq; callidè. 4. Tandem pro vera & genuina prudencia, quam  
suo loco inferius eviscerabimus.

VII. Quinta vocatur ARS, quam VEL AB arctando, quod 5. Ars cuius.  
dispersa & soluta coarctet & unum in corpus redigat; vel à vocula Deriv.  
ἀρένης, quæ Græcis idem est ac Mars; vel ἄρτη τῆς ἀρέτης derivari  
volunt; ACCIPITUR. 1. κατ' χερσινῶς, in quantum & DEO Homonym.  
& creaturis ratione expertibus tribuitur. Hinc DEUS hoc uni- improprietate.  
versum arte divinâ producere, aranea suas telas mirâ arte texere 1.  
dicitur. 2. κυρήως, & quidem partim generatim pro quolibet 2.  
habitu industrio in homine distincto à natura; partim speciatim, 3.  
vel de literarum studiis vel alijs de artibus, quæ opus aliquod relinquent. Proprietate hoc  
In hac ultima significatione usurpatur hoc loco ab Aristotele, loco.  
prout ex definitione infra ponenda videbimus.

VIII. Excussa homonymia aggrediemur ultimam hujus  
*Synonymia.* membra Thesin SYNONYMIAM. Variis autem haec virtutes  
apud autores veniunt nominibus, modò *summum Bonum Theoretici-*  
*cum*, modò *virtutes mentis & rationis*, Græcè verò ἀρετὴ ή ἔξι  
διαροής διαροήν &c. appellantur. Hæc de primo, sequitur.

## MEMBRVM II.

Πρεγματολογία.

*Habituum intellectua-* IX. Absolutis illis, quæ ad vocabuli Summi boni Theoretici  
cognitionem faciunt. sequuntur ipsæ virtutes, quas tractandas  
lium. suscepimus. Definiuntur in genere, quod sint ἔξι αἵς αἱηθέναι  
ἡ ψυχὴ τῷ πάτερα φῶναι καὶ δύο φῶναι hoc est. HABITUS, QUI-

*Definitio.* BUS ANIMA AFFIRMANDO vel NEGANDO VERUM DI-  
CIT, Arist. I. 6. Nicom. c. 3.

X. Quâ definitione. 1. GENUS his virtutibus cum mo-  
ralibus esse commune, habitum sc. edocemur.

XI. 2. DIFFERENTIAM subjectum, Objectum & Finem  
designare apparet.

*Subjectum.* XII. SUBJECTUM ipse Philos, I. I. Nicom: c. ult. consti-  
tuit: τὴν δὲ δρεπὴν inquit, λέγομεν ἀνδρωπίνην ή τὴν σώματος,  
αλλὰ τῆς ψυχῆς; τὴνδε ἐυδαιμονίαν τῆς ψυχῆς ἐνέργειαν. h. est.  
virtutem verò humanam dicimus non corporis sed animæ; felicita-  
tem quoque animæ operationem appellamus.

*Objectum.* XIII. OBJECTUM sunt res tām Contingentes quam ne-  
cessariæ, quatenus circa illas vel verum vel falsum inquirimus.

*Finis.* XIV. FINIS est veritatem vel affirmando vel negando dicere; non  
quidem ut Logica, quæ saltem modum vera falsaq; tractandi o-  
stendit, non autem enunciat verum & falsum, quia verum & fal-  
sum sunt in rebus. Ergò enuncians verum, rem contineat, neces-  
sum est, qua ipsa destituitur, cum saltem Objectum rationis  
habeat.

*Numerus qui proba-* XV. NUMERUM virtutum Intellectualium ex objecto resul-  
tur ab Ob- tare videmus, quod duplices res Contingentes nimur & necessarias  
jeōto. comple-

complectitur: Illæ sunt, quæ in nostra potestate sunt sitæ: Hæ verò, quæ ipsæ per se semper sunt (licet quidem non semper sint quo ad individua seu existentiam: Semper tamen sunt quoad Universalia seu essentiam) & nunquam sunt, aut licet sint non tamen à nostra voluntate, sed à natura per certas causas operante producuntur. Quæ rursus sunt aut principia Conclusionum, aut conclusiones; ex illis Intelligentia; ex his Scientia provenit, quæ conjunctæ Sapientiam constituunt.

XVI. Rerum Contingentium verò Objectum duplex ponitur aut πειρατὴν quod sub actionem cadit ex quo Prudentia, aut τομῆν, quod effectio[n]is naturam induit & sensibilem post se effectum relinquit, ex quo Ars proficisci[us].

XVII. Numerum ergò quinarium deprehendimus, quem & cum Aristotele ponimus, interim non repugnantes eis qui sextum statuunt habitum.

XVIII. Primò se offert νοῦς seu INTELLIGENTIA, quæ EST MENTIS HABITUS, QUO PRINCIPIA SCIENTIARUM ET DEMONSTRATIONUM COGNOSCIMUS. Quād definitionem Arist. l. 6. Nicom. c. 6. & l. εὐδαιμονία: c. 6. sat probatam perhibet, quare ad d. l. dubitantem ablegatum volumus. Defin:

XIX. In hac definitione notationem meretur. I. OBJE- Objectum CTUM, quod habet maximas, regulas, canones, αξιωματα, & principia scientiarum & artium: Quæ principia ita in propatulo sunt, ut ea nemo, nisi cui mens amens, negitet. Horum exquisitatem habitum intelligentiam esse asserimus, quia ἐστι νοῦς τῶν αἰγάλων l. 6. Ethic. c. 6. vid. Clariss. Hunnij. disput. Ethic. II. de virtut: Intellect. Theor. 3.

XX. Hæc quidem principia nobis sunt naturalia (vis enim quædam naturalis est in homine, quæ eum ad parandam principiorum cognitionem aptum reddit, nim: δύναμις κρίτικη partim in sensu partim, in memoria, partim in ratione consistens uti in Admod. Rev. Dn. D. Jacob. Mart. Part. Metaph. l. 1. sect. 7. quæst. 4. legitur.) sed tamen adhuc obscura & tenuia adeòq; opus habens aliqua declaratione, ut reddantur certiora & evidentiora.

XXI.

Nunc de illis in specie & quidem de.

I.

Intelligen-

tia.

Defin:



2.  
Scientia.  
Defin.

XXI. Intelligentia excussa prodit SCIENTIA, quae sic ab Arist lib.6. Nicom.3. definitur: Επισήμη εστιν διδοδειππη ἔξισ  
ἔξιν αναγνωρι; quod Interpretes sic reddidérunt: SCIENTIA EST  
HABITUS MENTIS DEMONSTRATIVUS, QUO PERCIP-  
MUS CONCLUSIONES NECESSARIAS PER CAUSAS VE-  
RAS, PRIMAS, ET IMMEDIATAS ET PRIORES IPSIS CON-  
CLUSIONIBUS. Vel ut Admodum Rev. Dn. I. D. Jacob. Mart.  
vertit. Scientia est habitus demonstrativus, quo percipimus &  
cognoscimus conclusiones ex principiis necessariis.

Objectum.

XXII. Pleniorēm hujus habitus intellectum aperient duo.  
1. OBJECTUM, quod est τὸ ἐπισητὸν, τὸ μὴ ἄλλωστον ἐνδέχόμενον.  
scibile, quod se aliter habere nequit quodq; sciri & scientia com-  
prehendi potest.

Notæ.

1.

XXIII. Hujus habitus NOTAS quatuor ponunt autores.  
1. Debet esse Ens per se non per accidens, quia οὐτὶς ἐπισήμη εἰσὶ τὰ  
συνεβεβηκότα. 2. Universale non singulare, quia nulla singu-  
laria sunt necessaria nisi fortean naturam Universalis induant,  
3. Necessarium non Contingens: Aristot. enim inquit lib. 6.  
Nicom. c. 3. Πάντεστι υπολαθουσι, οὐτὶς γάμεθα μὴ ἐνδέχεθαι  
ἄλλωστον. hoc est Omnes id quod scimus, non posse aliter ha-  
bere existimamus. 4. Eternum & immobile. Πᾶσα γὰρ  
ἐπισήμη οὐτὶς ἀεὶ οὐτὶς ἀπὸ τοῦ πολὺ, inquit Aristot. lib. 1. & 2.  
Metaph. c. 2.

Affinitas.

XXIV. 2. Scientiæ AFFINITAS & Discrepantia. Scientiæ  
affinis est OPINIO quæ EST cognitio rei incerta & constat ex syl-  
logismo Topico. Loquimur autem hoc l. de Opinione quatenus  
est σφοδρὰ καὶ αἱμετάτεις hoc est stabilis & crudelitate in-  
concupsa uti Arist. l. 2. M. M. c. 6. hanc à scientia non differre  
adserit.

3.  
Sapientia.

XXV. Huic SAPIENTIA succedit quæ l. 6. Ethic. cap. 7. sic  
definita exhibetur. Η Σοφία ἐστὶν ηγετὴ ἐπισήμη ηγετὸς τοῦ  
κεφαλὴν ἔχοντος ἐπισήμην τῷ πιμωτάτῳ. hoc est. SAPIENTIA  
EST INTELLECTUS ET SCIENTIA AC QUASI HABENS  
CAPUT SCIENTIAM RERUM PRÆSTANTISSIMARUM.

Defin.

XXVI.



**XXVI.** Iterum notandum est OBJECTUM, quod sunt  
Omnes res naturâ præstantissimæ & earum Causæ, quæ cognitioni hominis Objectum.  
subjiciuntur, quarum sunt principia & Conclusiones ex principiis  
elicitæ. Complectitur enim Sapientia tam principia quam quæ  
ex principiis sunt demonstrata, circa quæ versatur scientia Aristot.  
I. I. M. M. c. 35.

**XXVIII.** CONDITIONES & requisita Sapientiæ ex l. i. c. 2. Requisita.  
Metaph. Arist. autores potissimum quatuor excerpunt. 1. Sci-  
re μάλιστα τάντα ηγή μη καθ' ἔκαστα h. est. Maxima omnia & non  
singularia. 2. τὰ χαλεπά ηγή μη σάδια αὐθεώσω γνωσκειν.  
hoc est. difficultissima & non faciliora cognitu. 3. αἱρεθεσέργει  
καὶ διδασκαλικωτέραν τὸν αἰλίον. hoc est. Accuratissimam & aptissimam  
ad exprimendas rerum causas. 4. δέχημαι λέραν. h. est. ha-  
bere imperium ac dominium in reliquias omnes scientias ac artes vid.  
Admod. Rev. Dn. D. Jacob. Mart. I. I. part Metaph. sect. I. q. 19.

**XXIX.** Hactenus virtutes Intellectuales, quæ circa τὰ αἴσθη-  
τῶν versantur, sequuntur quas supra è contingentibus rebus  
eduximus, Prudentia sc. & Ars.

**XXX.** PRUDENTIA est εὖσ αἱληθῆς μὲν λόγῳ πραγμάτῃ  
φέντη τὰ αὐθεώσω αἴσθητὰ ηγή μηλα hoc est. HABITUS CUM  
RATIONE ACTIVUS CIRCA EA, QUAE BONA ET MALA  
HOMINI SUNT. Arist. I. 6. Ethic. c. 1. 4.  
*Prudentia.*  
*Defin.*

**XXXI.** OBJECTUM sunt τὰ πρᾶγματα αἴσθητα bona, τὰ μηλα Objectum.  
honestæ; τὰ δίκαια justa Arist. I. d. & 8. I. c. 5.

**XXXII.** DIVIDITUR variè in privatam πρᾶγματα αὐτὸν καὶ ἐν  
erga seipsum, quæ est facultas sibi de vita necessariis & utilibus proficien-  
di & suis privatis commodis consulendi honestis tamen & legitimis  
mediis: & communem sive πρᾶγματα αὐτὸν erga alios quā quis se non  
sibi soli natum esse videt, sed facit, ut partem sui sibi vendicare,  
queat patria partem parentes, partem liberi, partem cognati, ut illud  
Ciceronis lib. I. offic. huc trahamus.

**XXXIII.** In Oeconomicam, quā quis suæ domui & familiæ be-  
nè præesse scit, & Politicam, quā quis reipubl. aut sui ingenij excel-  
lentiâ Consilia suggerere bona aut opum suarum copiâ suppetias  
ferre potest & quæ ei perniciosa sunt removet atq; arcet.

B

XXXIV.



1.  
Ars.  
Deput.

Objetum.

Objectio.

I.

2.

Causa vera.

1.

2.

XXXIV. Ultimam aggredimur virtutem ARTEM scil. cuius definitionem Aristot. lib. 6. Nicom. c. 4. ponit hanc: ἡ τέχνη ἐξ οὐ εἶς μὲν λόγος αληθεῖς ποιητική hoc est. ARS EST HABITUS CUM RECTA RATIONE EFFECTIVUS.

XXXV. OBJECTUM Artis est τὸ ποιητόν seu factibile. τὸ ποιεῖν seu efficere dicitur, qui opus materiatum in externo subiecto perficit in oculos post actionem incurrens. Clariss. Gutkius disputat. I. Ethic. adserit quod τὸ ποιεῖν significet in externam materiam agere, instrumentis corporeis uti & effectum corporeum post se relinquere. Nam artifex adsumit & movet sibi objectam materiam & aliam formam in eandem introducit. Sat de his quoad περιγραφά sequitur.

### MEMBRVM III.

E'ναιλογίας.

#### QVÆSTIO I. An DETUR SCIENTIA?

Nihil adeò absurdum, quin sui inveniat defensorem recte ait Tullius. Quid enim nostro ξηπήματι clarius, verius? Et tamen sunt qui hoc inficias iri non erubescunt ficalneis nixi argumentis; Dicunt enim scientiam non dari. I. Quia intellectus noster tantum beneficio sensuum intelligit; sensus autem sunt singularium & corruptibilium. Unde sequi putant intellectum universalia non intelligere & consequenter nullam dari posse scientiam.

2. Quia animus noster omnino certus non redditur, cum sensus nostri, à quibus intellectio & scientia fit, interdum fallantur. Jam autem falli scientia non patitur. Verum nos his argumentis probatum imus scientiam dari. I.

Quum omnes homines aptitudinem & appetitum scientiae habeant; siquidem Φύσει τὸ εἰδέναι οὔτις παύεται. I. Metaph. I. Jam autem totius speciei aptitudo non potest omnino frustrari inquit Arist. I. 2. de cæl. 2. Quia dantur omnia requisita demonstrationis, quod patet ex doctrina de demonstratione. Jam verò ex data demonstratione necessariò ebullire scientiam nemo, nisi infans apodicticæ doctrinæ extiterit, negabit, cum hæ essentiali nexu cohæreant. Videat, Admodum.

Rev.



Rev. Dn. D. Jacob. Mart. Instit. l. 5. de demonstrat. c. i. Plures rationes nostræ affirmationis habentur in Comm. Joan. Ludov. Havenreut. in lib. I. Metaph. Arist. c. i. pag. 37.

Froindè ad negantium. 1. Argumentum respondemus, scientiam res non considerare quatenus sunt singulares sed quatenus ναθ' ὄλγ sive Universali ratione menti obijciuntur. Præterea ad universalis, uti adserit rectissimè Clariss: Dn. Strauchius quæst. Eth. post. Cent. decad. 7. q. i. propositionis constitutionem in materia necessaria non necessum est omnia citare singularia sed satis unum & alterum adsumpsisse, ex quibus judicium fieri potest de reliquis, cum essentialiter connexa semper uno & eodem modo se habeant in singulis Individuis atq; hæc ratione infinitus singularium numerus universalem propositionem non impediet.

2. Concedimus, quod sensus nonnunquam errent; fit tamen ille error per accidens & ab intellectu corrigitur.

## II. An METAPHYSICÆ GENUS sit SAPIENTIA?

Sunt nonnulli, qui hoc negatum eunt, quorum rationes si-  
lentio jam præteribimus; sed nos ab istis divortium facientes affirmativam tenemus. 1. Quia Sapientiae requisita Metaphysicæ competunt; ut. disputare de primis rerum principiis & rebus difficultissimis; in Universali omnia cognoscere; omnes alias scientias dirigere; habere cognitionem certissimam & quæ alia in Thesi. XXIII. enuve-  
rantur. 2. Quia nullus allius habitus Metaphysicæ recte attribui po-  
test, quod quorundam inductione probatum dabo. 1. Scientia non est, quia non per proximam & immediatam causam de subje-  
cto propriam affectionem demonstrat, cum Ens quatenus Ens neq; Causas neq; affectiones habeat. Sed excipis; Unum, Verum, Bonum & similia affectiones Entis salutari. R. Distinguendum est in-  
ter affectionem propriæ dictam & analogicè sic sumptam. Hæc in exceptione intelligitur; illa nullo modo, quia debet realiter esse distincta à suo sujepto cuius est affectio; id quod de affectionibus illis adseri non potest, cum non re sed saltēmodo ab Ente dif-  
ferant.

2. Non Prudentia. 1. Quia hæc est habitus rerum contingentium; Metaphysica verò rerum necessariarum  
Prudentia est rerum singularium & Universalium; Metaphysica autem

Responsio  
ad objectio-  
nem.

I.

2.

Ratio.

I.

2. Quia.

Non est.

I.

Scientia.

Objectio.

R. Disting.

2.

Quia Non pru-

dentia.

tantum.

B 2



3.  
Non ars.

tantum Universalium l. 6. Nicom. cap. 7. & 8. 3. Quod neq; Metaphysica in sua essentia sed. possit esse Ars sat probatū exhibet Admod. Rev. Dn. D. Jacob. Mart. in Part. Metaph. q. 2. l. 1. sect. I.

III. An Physica sit scientia? A.

IV. An Logica sit ars? N.

## MEMBRVM IV.

### ΑΞΙΩΜΑΤΟΛΟΓΙΑΣ.

1. Intellectus est tabula rasa cui omnia infigi possunt.
2. Quicquid ab intellectu cognoscitur, illud est intelligibile.
3. Intelligentem oportet Phantasmat a speculari Arist. l. 3. de anima text. 39.
4. Scire est rem per causam cognoscere.
5. Rerum, quæ sub sensum cadunt, nulla datur scientia.
6. Scientia & opinio differunt modo & Objecto, quia Opinio est mutabilis; Scientia vero immutabilis: Opinio rerum Consingentium: Scientia perpetuarum.
7. Scientia in demonstrationibus est occupata.
8. Sapientia cui libet disciplinæ subsidio venit.
9. Sapientia est latior Metaphysica.
10. Prudentes omnia recte agunt cum ratione.
11. Ars non habet osorem nisi ignorantem.
12. Artifici in sua arte credendum.
13. Ars & artifex eundem habent finem. Et tantum etiam de his.

At nunc.

Anchora de prorâ jacitur: Stat littore puppis.



## SUO PAULO SCHWABIO.

**S**IC est, cur patrius, nosti, sic missus ab oris,  
Ut redeas varia doctus ab arte domum,  
Hinc mihi res minimè Schwabi, miranda videtur,

Vix Contemplantis quod Tibi vota Boni.

Pergito, sic Patriæ quondam, sic rite Parenti

Diceris certe non mediocre decus.

Fecit ex tempore.

M. JACOBUS WELLER.

05 A 1659

ULB Halle  
003 779 130

3



WDT



(26)

COLLEGII MORALIS

EXERCITATIO XV.

De  
**VIRTUTIBUS  
INTELLECTUA-  
LIBUS.**

QVAM

Duce DEO omnis scientiæ & Sapientiæ fonte  
& origine

In Electorali ad Albim Athenæo

Sub

P RÆ S I D I O

Viri Clarissimi nec non Eximij.

DN.

**M. MATTHÆI Grosser/**

Facult. Philosophic. Adjuncti dignissimi.

Favitoris & Promotoris sui multùm  
honorandi.

Academici exercitij gratia  
ventilationi insinuat.

**PAULUS Schwab Plava Variscus.**

Die 19. Aprilis boris locog solitis.

---

WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno cœ 10 cXXX.

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

